

re animo tam detestabile consilium Christiani potuerint, habuerint illi conjurandi in patriam & in Imperatorem ipsum voluntatem; quibus tandem rationibus meditarum scelus exequerentur? quas illi copias, quos exercitus, quas facultates habent? Quibus se tueantur armis, quibus Ducibus in aciem prodeant, quas urbes ad defensionem, quæ propugnacula nobis ostendet Christianorum

paucitas ex plebeculæ quisquiliis ac colluvie fermè congregata?

Ah! cave, Princeps æquissime, ne, si gentem innoxiam persecutis ulterius, præter commune odium nihil quidquam reportes; & dum populi tuæque securitati videris allaborare, non apud Romanos modò, sed etiam apud universum orbem crudelitatis ac sævitiae famam incurras.

A Consequenti-
bus.

LIBER TERTIUS.

De Figuris seu de Elocutionis dignitate.

VERTITUR totum Artis Oratoriae momentum in hoc Libro; qui de Figuris inscribitur. Cum enim Artis Oratoriae seu potius Rhetoricæ sit finis aptè ornatèque dicere ad persuadendum; nulla ratione perveniri securius potest ad propositum exitum, quàm scientia & artificio Figurarum aliorumque Orationis ornamentorum, in quibus tota dicendi vis ac majestas posita est.

Figura porro apud Rhetores nihil est aliud, quàm Orationis ornatus, seu sermonis conformatio à communi ratione dicendi remota; in quo differt à Tropo, qui Orationis ornatus est, per quem sensus alicujus verbi aut sententiæ proprius ad alium sensum deducitur.

Igitur Elocutionis ornamentum ac dignitas in Tropis & Figuris versatur & consistit; &, quemadmodum sunt Figuræ quædam verborum, quædam sententiarum, ita Tropi alii verborum, alii sententiarum nuncupantur.

CAPUT PRIMUM.

De Tropis, ac de iis primum qui in uno verbo positi sunt.

Quid est Tropus?

R. Est Verbi vel Orationis à propria significatione, ad aliam cum aliqua virtute ac dignitate Translatio. Hoc ipsa vox indicat. Tropus enim dicitur à verbo *τροπος*, id est convertò, sive immuto.

Quot sunt in uno verbo Troporum genera?

R. Septem vulgò recensentur. Metaphora, Synecdoche, Metonymia, Catachresis, Antonomasia, Onomatopeja, Metalepsis.

Quid est Metaphora?

R. Est Translatio verbi à propria significatione ad aliam cum aliqua similitudine. Verbi gratia, cum quis dicitur incensus ira, inflammatus cupiditate, lapsus errore: sic & dicitur lumen Orationis, generis claritas, gloriæ seges, concionum procellæ, virtutum concentus: quæ omnia simi-

litu-

litudinem habent aliquam cum iis rebus à quibus denominantur.

Quis esse debet usus Metaphoræ?

R. Cavendum esse, ne sit frequentior, ne inverecundus, ne apud Oratores tam audax, quàm apud Poetas, ne Metaphora producat nova, quæ auctorem bonum non habeat.

Quid est Synecdoche?

R. Est Tropus, in quo totum pro parte, vel pars pro toto sumitur; vel ex antecedentibus consequentia intelliguntur. Ita totum pro parte sumpsit Virgilius, cum dicit, *fontemque ignemque ferebant*. Hoc est aquam è fonte, carbones ex igne decerptos. Partem pro toto, cum pro navi puppim usurpat. Consequentia verò ex antecedentibus intelliguntur, ut si quis dicat, *jam boves ab agricolis reducuntur domum*, pro nox adest.

Quid est Metonymia?

R. Est Tropus, qui causam per effecta, vel effecta per causam, vel id quod continet pro eo quod continetur, vel rem è signo declarat, verbi gratia: *Dona laborata Cereris*, pro frumentum in panem redactum, est exemplum Metonymiæ, quæ per causam effecta designat, quia Ceres inventrix frumenti dicitur. *Scelus & sacrilegium deprehensum est*, id est scelestus & sacrilegus. Hic causa per effecta declaratur: id verò quod continet pro eo quod continetur, ut *lectitare Platonem*, pro lectitare Platonis opera; Denique signum pro re significata sumitur, ut si quis bellum per *arma*, pacem per *togam* indicet.

Quid est Catachresis?

R. Est Tropus, qui verbo simili aut propinquo, pro certo ac proprio utitur. v. g. cum *Parricidam* appellamus eum qui matrem interfecit; quod ipsa vox Catachresis innuit, significat enim ab usum quemdam.

Quid est Antonomasia, sive Pro-nominatio?

R. Est Tropus, qui pro nomine ipso, aliquid æquivalens nomini, aut etiam significantius substituit; ut cum dicitur *Everfor Carthaginis*, pro Scipione, *Asia domitor*, pro Alexandro, *Orator*, pro Cicero.

Quid est Onomatopeja?

R. Est fictio vocis ad rem significatam nativa aliqua sui soni similitudine accedentis, ut *magitus*, *boatus*, *sibilus*, & similia.

Quid est Metalepsis, sive Transumptio?

R. Est Tropus, quo ex alio, ad aliud veluti per gradus ascenditur, ut cum dixit Virgilius, *Post aliquot mea regna videns mirabor aristas*, id est post aliquot annos; nam ex aristas spicas & segetes, ex segetibus ætates, & ex ætatibus annos intelligimus.

CAPUT II.

De Tropis qui in Oratione, hoc est, in pluribus verbis fiunt.

Quot sunt Tropi in Oratione, sive in pluribus verbis?

R. Quatuor. Allegoria, Periphrasis, Hyperbaton, Hyperbole: quibus addi potest Ironia.

Quid est Allegoria, sive Inversio?

R. Est Tropus, quo aliud verbis, aliud sensu ostenditur, ut pro Milone n. 5. *Equidem ceteras tempestates ac procellas in illis duntaxat fluctibus concionum semper putavi Miloni esse subeundas*. Ubi per tempestates ac procellas, significat perturbationes ac tumultus, quibus Milo obnoxius fuerat.

Habes alia Allegoriæ exempla apud Ciceronem pro Marcello nu. 4. in Pi-
lo.

sonem, n. 20. pro Muræna n. 35. Illustris est etiam illa Allegoria, qua Horatius Rempublicam nova bella molientem, sub navis nomine, cui defunt omnia ad felicem navigationem, compellat, & ab huiusmodi consilio deterret Lib. 1. Ode 14. *O Navis referent in mare te novi fluctus, &c.*

Hæc porro Allegoria omnium est præstantissima, quæ similitudinis & translationis gratia permixta est. Talis est illa quæ legitur n. laudato 35. pro Muræna. *Quod fretum, quem Euripum tot motus tamque varias habere putatis fluctuum agitationes, quantas perturbationes, & quantos æstus habet ratio Comitiorum? Dies intermissus unus, aut nox interposita sæpe perturbat omnia; & totam opinionem parva nonnunquam commutat aura rumoris.* Ubi vides Comititia per similitudinem Fretæ & Euripo comparari; dici perturbationes & æstus de Comitiorum strepitu ac negotiis per Allegoriam: & rationem pro modo ex ratione adhibito translationis usurpari. Item pro Sextio n. 20. Allegoria insignis.

Observandum autem est in Allegoria, ut, quo genere cœperis translationem, eodem finias. Quis enim non improbet initium à tempestate sumptum, ruina, vel incendio concludi?

Quid est Periphrasis, seu Circumlocutio?

R. Est Tropus, quo pluribus verbis dicitur, quod potest paucioribus exprimi; ut sit oratio plenior & significantior.

Quid est Hyperbaton seu Transgressio?

R. Est Tropus, quo in perpetua Orationis serie ordo verborum, cum decore perturbatur, ut *mecum, pro cum me, quibus de rebus, pro de quibus rebus.*

Quid est Hyperbole?

R. Est Tropus qui rem auget vel minuit supra, vel infra veritatem; supra veritatem quidem ut pro Marcello n. 4. *Nullius tantum est flumen ingenii, nulla dicendi aut scribendi tanta vis tantaque copia, quæ, non dicam exornare, sed enarrare, C. Caesar, res tuas gestas possit.* Ibid. n. 11. *Vereor, ut, hoc, quod dicam, non perinde intelligi auditu possit, atque ego ipse cogitans sentio: ipsam victoriam vicisse videris, cum ea ipsa, quæ illa erat adeptæ, victis remissisti.* Alia sunt ejusdem Tropi exempla illustria pro Lege Manilia num. 28. Philip. 2. num. 67. Ver. 7. num. 144.

Exemplum verò Hyperboles quæ rem minuat infra veritatem, habes pro Roscio Com. num. 20. ubi facetè jocatur in Fannium Cheream. *Oro atque obsecro vos, qui nostris vitam inter se utriusque conferte; qui non nostris, faciem utriusque considerate: Nonne ipsum caput & supercilia illa penitus abrasa olere malarum & clamitare calliditatem videntur? Nonne ab imis unguibus usque ad verticem summum, ex fraude, fallaciis, mendaciis constare totus videtur; qui ideo capite & superciliis semper est rasis, ne illum quidem pilum viri boni habere videatur?* Item in Pisonem num. 55. pro Flacco n. 41.

Quid est Ironia?

R. Est Tropus, qui aliter Illusio vocatur, & sensum indicat contrarium iis verbis, ex quibus constat, ut, si quis diceret, *ò pium & miem ac gratum animum!* de eo, qui hominem in se beneficium trucidasset.

Frequens est Cicero in Ironia, præsertim si jocati in aliquem mordaciùs voluerit.

Sic Verr. 6. num. 86. *Erat hyemæ sum-*

EXERCITATIO.

In purissimos Beata Virginis Conceptus.

Per Allegoriam, Hyperboleu, & Ironiam.

S Y N O P S I S .

1. Socios invitabit ad celebrandos sanctissimæ Virginis ortus purissimos. Laudemus enim verò, &c. Gratulemus parenti amantissimæ, &c. Adjunget definitiones aliquas allegoricas eademque Virgini honorificas.

2. Per Hyperboleu dicitur neminem esse non hominem, non cœlestem Genium, non aliam quamlibet creaturam, quæ perfectiones animæ illius vel in ortu primo explicare possit. Solius esse Dei Patris, qui Mariam in filiam, Filii qui in parentem, Spiritus Sancti, qui in Sponsam elegit, enarrare doctes illas, &c.

3. Per Ironiam junctam cum Allegoria quæret à Dæmone cur orietur, cum felicissima illa anima corpori conjuncta est. Quin tu Sydus illud obscurabas, &c.

4. Per aliam Ironiam extollet lenitatem ac comitatem Dæmonis, qui non tantum Virgini pepercerit, sed ultro etiam passus fuerit caput suum ab eadem conteri.

Concludet gratulando sibi & sociis, qui talem parentem nacti sint.

O R A T I O .

Laudemus enim verò, ò socii, fortunatissimam illam post homines natos Virginem, quæ singulari Omnipotentis Dei beneficio communis expertæ maculæ pulcherrima tota, tota purissima exoritur. Gratulemur parenti amantissimæ, quæ Deum aliquando nobis fratrem est editura. Reclamus horam illam, qua hæc anima è præpotentis Dei manibus, tanquam opus numeris omnibus & partibus absolutum, tanquam cœlestis potentia ac sapientia specimen prodiit. Hodie primum Sydus illud emicat, cujus splendidissima luce orbis

Summa, tempestas perfrigida, imber maximus, cum iste imperat lictoribus, ut Sosopatum de porticu, in qua sedebat, præcipitem in forum dejiciant. Vix erat hoc etiam imperatum, cum illum spoliatum stiparumque lictoribus videres. Omnes ideo putabant, ut miser atque innocens virgis caderetur; fessellæ hæc homines opinio; virgis iste caderet sine causa socium Populi Rom. atque amicam? non usque eo est improbus, non omnia in eo uno sunt vitia; nunquam fuit crudelis: leniter hominem clementerque accepit. Quo in exemplo simulatio tota fit in singulis verbis à sua significatione in contrariam mutatis, Nam narrat postea Cicero quàm cruciatum in morem Sosopatum illum Verres cruciasset.

Et pro Rabirio Perd. num. 13. T. Labienum irridet ironicè quòd popularem se esse dixisset. *Namque hæc tua, quæ te clementem popularemque delectant? I; lictor, colligam manus; quæ non modò hujus libertatis mansuetudinisque non sunt, sed ne Romuli quidem, aut Nume Pompilii; sed Tarquinii superbissimi atque crudelissimi Regis ista sunt cruciatus carmina; quæ tu homo lenis ac popularis libentissime commemoras; caput obnubito, arbori infelici suspendito.*

Item Cat. 2. num. 24. pro Lig. num. 1. in Pisonem num. 56. pro Mil. num. 20.

Observandum autem Ironiam facile intelligi vel ex modo quo pronuntiatur, qui irrisionem sonat, vel ex persona aut rei natura verbis, quæ proferuntur, contraria.

Allego-
ria.

bis terrarum universus aliquando col-
lustrabitur: hoc illud lilium est, cu-
jus purissimum candorem nullus un-
quam nœvus inquinavit; hoc illud
speculum est, cuius nitorem tartarei
serpentis halitus pestifer nunquam in-
fecit, inquinavit, afflavit.

Hyper-
bole.

Quanquam quis è nobis assequi
dicendo possit dotes illas incontami-
natæ Virginis, quæ omni commen-
datione major est? Quis, non homi-
num dico, sed beatarum etiam men-
tium explicet, quot & quantis ornata
virtutibus in hoc primo vitæ limine
refulserit? ò Tu, summe rerum om-
nium Moderator Deus, qui illam ti-
bi dilectissimam in filiam adoptave-
ras: Tu æqualis in omnibus Patri Fi-
li Unigenite, qui reliquas inter fœ-
minas assumpseras illam in Matrem:
Tu, divine Spiritus, qui in Spon-
sam tibi charissimam Mariam elegeras,
dicite, quam singulari perfe-
ctionum omnium comitatu destina-
tum vobis habitaculum adornastis?

Tu verò quid agebas interea, hu-
mani generis hostis insensissime?
quid cessabas? quid otia habere? Adeo-
ne resederant iræ veteres, & insatia-
bilis animi tui furor quieverat? Quin
tu Sydus illud lucidissimum, cum sta-
tim exortum est, spissa noctis illius,
quam incolis, caligine obscurabas?
quin glaciem illam nitidissimam in-
fecto polluti oris halitu maculabas?
Quin fontem illum limpidissimum
venenata impurissimi pectoris peste
insiciebas? Quin in hortum illum a-
mœnissimum omni florum genere fra-
grantem ac redolentem pro tua sub-
tilitate irrepebas? quin speciosissi-
mum illum florem, pretiosissimum
naturæ partum medias inter sentes
ac spinas enatum atro pollice demer-
tebas?

Sed quid in te pristini furoris vesti-
gia requirimus? Admiremur potius
indolem ad omnem humanitatem

comparatam; extollamus nullo un-
incredibilem; lenitatem nullo un-
quam elogio satis prædicandam! Pa-
rum est, quòd vel ad primum Virgi-
nis intactæ conspectum trepidaveris;
quòd sacratissimos ipsius ortus vene-
ratus fueris, quòd ab inferenda ani-
mæ ipsius labe temperaveris; nisi cal-
cari te totum ab eadem Virgine, nisi
conteri caput tuum, agni instar mi-
tissimi, impune permisisses. O pa-
tientiam admirabilem! ò incredibi-
lem modestiam! ò raram in hos-
tam jurato mansuetudinem!

Gratulemur igitur nobis tam feli-
cibus natam auspiciis parentem opti-
mam; celebremus ortus ipsius puris-
simos, & primigeniæ labis expertes;
& nulla vox, nulla lingua ab ipsius
laudibus unquam conticescat.

ALIA EXERCITATIO.

*Defenditur Adolescens accusatus in
Areopago, quod Cothurnicis
oculos effodisset.*

Per Ironiam & Hyperbolem.

SYNOPSIS.

Exordium & Propositio. Dicit Ironicè
& Hyperbolicè novum crimen illatum
fuisse Adolescenti qui accusatur, quòd avi-
culæ oculos effodisset.

Deinde Ironicam præ se feret sollicitu-
dinem, incertus unde reperat Adolescentis
miseri defensionem; nam crimen patet:
ipsa volucris æquitatem Judicium implo-
rat, &c.

3. Refutabit Ironicè quòd adversarius
dixerat, non tam petendam esse accusa-
tionis gravitatem ex ipso facto, quàm ex
malicia, quam facinus illud argueret: de-
signari scilicet patranda olim ab eo Ado-
lescente gravissima quæque flagitia. 1. Ex-
tollet mitem Accusatoris animum, qui
commissum in avicula piaculum ipsum ex-
cuset. 2. Exagitat eundem, quasi vidis-
set intimos Adolescentis sensus, ut mali-
tiam, quam exprobrat, deprehenderet.
3. Per aliam Ironiam illudet adversario,
qui certum de rebus olim eventuris ferre
judicium videatur.

Con-

Conclusio Ironica. Dicit nihil esse reli-
ctum Clienti suo, nisi ut misericordiam
Judicium imploret, qui omnium voce,
si quid accusatori creditur, sit condemna-
tus.

ORATIO.

Ironia &
Hyper-
bole.

Novum crimen, Judices, & an-
te hunc diem inauditum, quod nul-
la legum severitas, nulla atrocitas
suppliciorum, nullum satis grave
moris genus eluat unquam aut ex-
piet. Adversarius meus, homo re-
ligiosus mirum in modum ac per-
spicax ad vos detulit; Adolescentem
minimè malum oculos avicula
ludendo effodisse.

Ironia.

Quid agam, Judices, quòd me
vertam? res patet: negare factum
nequeo; habetis confitentem reum;
perdidit oculos nullo suo scelere
infelix volucris, & vestram om-
nium æquitatem implorat, vindi-
cem manum repetit, dignum tan-
to parricidio supplicium efflagitat.

Quanquam, fallor, Levis vel ista
culpa videri possit, inquit Adver-
sarius, nisi perversitatem animi non
ferendam in Adolescente argueret;
nisi perpetrandis olim flagitiis ma-
joribus viam sterneret. O mutatam
bene Accusatoris indolem! ò placi-
dum ultra, quàm sperare fas erat,
& mitem animum! Confide tan-
dem, infelix Adolescens, & dubiis
in rebus noli spem abjicere. Ecce
causam agit tuam, qui te acrius
accusabat; & quem Adversarium
senseras, jam patronum experiris.
Quod fecisti cumque, leve est, si
quid accusatori creditur, nec me-
retur pœnam. At te cordis tui
perversitas quolibet supplicio di-
gnum efficit, nec ducere ulterius
vitam patitur. Morieris ergo; mi-
serrime Juvenis; nam quis tutari te
possit; aut vim accusationis ejus-
modi deinceps eleverit?

Le Jay, Tom. I.

Vidit enim verò, quasi oculis
cerneret, animi tui naturam atque
indolem Accusator perspicax; pene-
travit pro sua sagacitate, abditos
quosque pectoris tui recessus, &
implicatissimos sinus revolvit. Tu
malus eo iudice atque arbitro, li-
cèt nihil unquam edideris, unde
quis suspicari id possit. Frustra tra-
ducta tibi feliciter ad hunc usque
diem adolescentia est: nihil est quòd
probatam omnibus suavitate indo-
lis, morum continentiam, in tota
vitæ consuetudine amabilitatem præ-
tendas. Non te juvat quòd gratus
parentibus, charus amicis, dilectus
æqualibus habearis. Vincit constans
de te totius urbis iudicium nova &
insolens hominis unius opinio, qui
cæteris oculatior vidit in te mala
quædam improbitatis femina, quæ
nemo hactenus deprehenderat.

Neque vero oculatus ille tantum,
sed & peritus Augur, quòd ali-
quando futurum est, certò perci-
pit: habet hoc singulare Superum
munus, ut, quæ cæteris mortalium
latent, unus noverit atque intelli-
gat. Jam objectas menti & quasi
præsentes oculis intuetur cædes, ra-
pinas, populationes, parricidia, alia-
que id genus, ab Adolescente mise-
ro committenda olim flagitia, &
multò ante fontis capite plectenda
arbitratur.

Quid igitur superest, nisi ut cri-
men ejusmodi, cum excusari non
possit, vestram misericordiam ob-
tester, & quem Accusatoris voce,
tanquam vestris omnium sententiis
damnatum intelligo, in eundem par-
tem vestræ bonitatis aliquam deri-
vare pertentem.

D C A.

CAPUT III.

De Figuris.

Quid est Figura?

R. Est conformatio quaedam sermonis remota à communi & primum se offerente dicendi ratione.

Quotuplex est Figura?

R. Duplex: altera Verborum, altera Sententiarum.

Quid est Figura Verborum?

R. Est ornatus quidam in Verbis ipsis positus, nimirum in eorum ordine, iteratione, & aliis id genus.

ARTICULUS PRIMUS.

De Figuris verborum qua Repetitione constant.

Quid est Repetitio seu Anaphora?

R. Est Figura, qua ab una eademque voce Oratio saepius inchoatur. Ut: nihil agis, nihil moliris, nihil cogitas, quod ego non videam, planèque sentiam. Pro Quinctio numer. 82. Quid haec amentia, quid haec festinatio, quid haec maturitas tanta significat? Non vim? non scelus? non latrocinium? non denique omnia potius, quam jus, quam officium, quam pudorem? Ibid. num. 51. & 52.

Vide & num. 21. Divinatione in Verrem. Pro Roscio Amerino n. 13. Pro Lege Manilia 40. 2. in Rulium num. 9. 1. Catilinaria num. 1. Philippica 2. num. 19. Pro Milone 94. & 100.

Quid est Conversio sive Epiphora?

R. Est Figura Repetitioni contraria, qua Oratio in eadem voce saepe finitur. Sit exemplum illud Ciceronis Orat. in Vatium num. 37.

Atque illud etiam audire à te cupio; quare, cum ego Legem ex Senatus Consulto de ambitu tulerim, sine vi tulerim, salvo auspicio tulerim, salva lege Alia & Fusi à tulerim, tu eam esse legem non putes?

Item & illud Philippica 2. n. 55. *Doletis tres exercitus Populi Romani interfectos? interfecit Antonius: Desideratis clarissimos Cives? eos quoque vobis eripuit Antonius: auctoritas huius Ordinis afflicta est? afflixit Antonius.*

Quid est Complexio seu Symploce?

R. Est Figura Repetitione simul & Conversione constans; ita ut ab eadem voce inchoetur Oratio, & eadem saepius finiatur. Celebre est illud exemplum Lib. 4. Auctoris ad Herennium nu. 18. *Qui sunt, qui foedera ruperunt? Carthaginenses. Qui sunt qui crudele bellum in Italia gesserunt? Carthaginenses. Qui sunt qui Italiam deformaverunt? Carthaginenses. Qui sunt, qui sibi postulant ignosci? Carthaginenses.*

Et Oratio pro Milone n. 59. *Sed quaestiones urgent Milonem, quae sunt habite nunc in atrio libertatis. Quibusnam de servis rogas? de P. Clodii. Quis eos postulavit? Appius. Quis produxit? Appius: Unde? ab Appio.*

Quid est Tractatio?

R. Est Figura, quae facit, ut cum idem verbum crebrius ponatur, non modò non offendant animum, sed etiam concinniores Orationem reddat. Lib. 4. ad Herennium n. 19. *Qui nihil habet in vita iucundius vita, is cum virtute non potest vitam colere.*

Ibid. *Eum tu hominem appellas, qui si fuisset homo, nunquam hominis vitam tam crudeliter periisset. At erat inimicus. Ergo inimicum sic ulcisci voluit, ut ipse sibi reperiretur inimicus.*

Ibid.

Ibid. *Divitias sine divitum esse; tu vero virtutem praefere divitiis; nam si voles divitias cum virtute comparare, vix satis idonea tibi divitiae videbuntur, quae virtutis pedissequae sint.*

Ex eodem genere exornationis est, cum idem verbum in diversa significatione ponitur. Ibid. num. 19. *Cur eam rem tam studiosè curas, quae multas tibi dabit curas?*

Item. *Amarè iucundum est, si curetur, ne quid infirè amari.*

Quid est Conduplicatio?

R. Est Figura, qua idem verbum geminatur, ut Catilinaria 1. n. 4. *Vivis, & vivis non ad deponendam, sed confirmandam audaciam.*

Interdum verba repetuntur in fine sententiae, quae posita fuerant initio. Pro Sextio n. 6. *Ademit Albino soceri nomen mors filia: sed charitatem illius, necessitudinis & benevolentiam non ademit.*

Item pro Marcello n. 17. *Vidimus tuam victoriam praetiorum exitu terminatam: gladium vagina in urbe vacuum non vidimus.*

Item pro Milone n. 95. Philippica 2. n. 98.

Quid est Gradatio seu Incrementum, sive Climax?

R. Est Figura, in qua Oratio per certos Gradus ad aliquid summum & ultimum veluti ascendit, aut ad aliquid infimum descendit. Ita pro Roscio Amerino nu. 75. *In urbe luxuries creatur, ex luxuria existat avaritia necesse est, ex avaritia erumpat audacia, inde omnia scelera ac maleficia gignuntur.*

Et pro Quinctio nu. 95. *Miserum est exturbari fortunis omnibus, miserius est, injuria: acerbum est ab aliquo circumveniri; acerbius è propinquo: calamitosum est bonis everri; calamitosius cum dedecore: funestum est jugulari à forti & honesto viro, fune-*

stius ab eo, cuius vox praconio quaestu prostitit. Indignum est à pari vinci, indignius ab inferiore atque humiliorre. Luctuosum est tradè alteri cum bonis, luctuosius inimico: horribile est causam capitis dicere, horribilius priore loco dicere.

Et Verrina 7. n. 75. n. 169. Pro Milone n. 61. Pro Archia n. 4. Pro Sextio n. 32.

Quid est in Figuris istis praecipuè cavendum?

R. 1. Ne saepius adhibeantur. 2. Ne assumantur illa, quae frequentiori usu viluerunt. 3. Ne per vim intrudantur. Hinc Quintilianus Lib. 9. cap. 3. Notat Figuras illas, etsi non parum venustatis habent, quia tamen affectatam artem & apertam nimis continent, rariùs usurpari à magnis Scriptoribus, nec ferè nisi res ipsa successionem habeat & certos gradus: cuius rei hoc profert exemplum. *Africano, inquit, virtutem industria, virtus gloriam, gloria amulos comparavit.*

EXERCITATIO.

Defenditur Diogenes qui media luce hominem Athenis quaereret accensa face.

Per Repetitionem, Conversionem & Complexionem.

SYNOPSIS.

Exord. **D**icet plenum sapientia fuisse facinus illud Diogenis, quod inepitum plurimis ac ridiculum visum est.

Propositio. **D**icet v. lin. populosa civitate paucos extitisse, qui nuncupari verè homines possent.

Confirmatio. 1. Per Repetitionem dicet non meminisse illos appellari homines, qui ambitionis, qui avaritiae, qui voluptatibus uni è servirent, & unius curandi corporis solliciti animam negligerent.

2. Solos illos esse homines, qui rationem ducem sequerentur. Quod tractabit

D 2 per

per Complexionem . Age quid facit hominem? Ratio, &c.

Contentio . Per Conversionem . Da mihi aliquem qui nihil agat, nihil loquatur, nihil meditetur nisi ex præscripto rationis, & illum hominem reputabit Diogenes .

Conclusio . O si revivisceret Diogenes, multos in hac ampla civitate homines inveniret?

O R A T I O .

Etsi visa est illa plurimis ridicula Philosophi insanientis ostentatio, quod Athenis ipsa luce meridiana accensam facem circumferens hominem Diogenes quæreret; tamen qui causas facti illius rationesque scrutari penitius voluerit, is summam in eo consilio sapientiam cogetur admirari .

Enimverò quot putatis vel in ampla illa ac populosa civitate extitisse, quos homines esse verè diceres, & tam honorifica appellatione meritò nuncupandos arbitraris?

An erant homines illi, talesve merbantur appellari, quibus nunquam erat satis quod habebant, sed cumulandis quotidie novis opibus inhiarent? An erant homines illi, qui inani gloriolæ cujusdam accensi fumo, nihil præter fragiles titulos & ambitiosa honorum insignia quærerent ac venarentur? An erant homines illi, qui mollibus inescati deliciarum illecebris voluptatem unam in pretio ponèrent? An erant homines illi, qui in curanda fovendaque cuticula & in iis, quæ ad corpus pertinent, vigiles & attentis, unius animæ bona, decorem ornatumque negligerent? Denique an homines erant illi, qui fraudibus, insidiis, cædibus se se mutuo peterent, & ad suam ipsi ruinam exitumque incumbere-

Age, te ipsum compello, age,

Conditio
placatio .

qui Diogenem accusas, & in ipsum, tanquam parum sanæ mentis hominem insurgis: Dic mihi, quæso, quid facit hominem aut eo dignum reddit nomine? opinor, Ratio . Quid tantum ipsi pretium, tantam supra res omnes creatas excellentiæ prærogativam arrogat? Ratio . Quid eum discernit à belluis, mutisque pecoribus segregat? Ratio . Quid inter homines ipsos tantam affert vim discriminis, ut alii habeantur in pretio, alii contempti jaceant? Ratio . Et tu homines appellabis, aut etiam efferes insolentiùs, quorum in moribus vix ullum rationis vestigium agnoscas? qui rationem bene monentem & ad saniora incedentem audire non sustineant? qui pravis cupiditatibus obsequi, quàm rectæ rationi obtemperare malint?

Da, da mihi quempiam, qui meditetur nihil, nisi quod rationi sit consentaneum, & illum reputabit hominem Diogenes . Cedo aliquem qui nihil loquatur, nisi quod ratio ipsa dicitur, & illum ultro volensque fatebitur hominem Diogenes . Prodeat unus aliquis è tanta multitudinem, qui nihil agendum sibi putet, nisi quod ad rectæ rationis normam ac regulam fuerit exactum; nec dubitabit illum agnoscere hominem, atque ut talem venerari Diogenes .

O si revivisceret hodie sapientissimus ille Philosophus, & civitatem istam, tam amplam, tam confertam lustrare circumcurfans, credis, tot inter homines, qui non modò gloriosum istud nomen usurpant, sed quidpiam sibi præter vulgarem hominum sortem arrogans insolentiùs, credis inveniendos ab eo plurimos, quos homines appelleret?

ALIA

ALIA EXERCITATIO .

In Brutum Cæsaris Interfectorem .

Per Repetitionem, Conversionem, Complexionem & Gradationem .

S Y N O P S I S .

1. **D**iceret mirum esse, quod Brutus ad occidendum Cæsarem adduci potuerit .

2. Per Repetitionem, Nihil erat ergo, Brute, quod à tanto scelere te averteret, ad imitationem Ciceronis . Cat. 1. n. 21 .

3. Per Conversionem dicit Brutum fuisse causam malorum omnium quæ Cæsaris necem consecuta sunt .

4. Per Complexionem . Tamen, quod mirum est, Brutus sibi ignosci postulat, & affectat nomen Liberatoris patriæ .

Conclusio . Per Gradationem . Quis ergo Brutum non sceleratum modò, sed &c. appellet . Nam si facinus est Civem Romanum interficere, scelus innocentem trucidare, &c.

O R A T I O .

Quamquam ea est sceleris omnis funesta quædam & nunquam penè evitanda conditio, ut eos, qui flagitiosum quidpiam meditantur, cæcos statim efficiat; mirum est tamen eò cæcitatibus atque dementia venire Brutum potuisse, ut Cæsarem inaudito hæcenus & novo crudelitatis genere interficeret .

At unde tanta animi ferocitas? Unde in humano pectore tam implacabilis furor exarsit? Ergo nihil erat, ò Brute, nihil quod te ab immani facinore revocaret? Nihil loci sanctitas, nihil majestas Principis, nihil oris vultusque dignitas, nihil beneficiorum memoria, nihil paternæ cujusdam benevolentia vis, nihil orbitas Reipublicæ & in tanti viri fato jam jam interitura commiseratio moverunt?

Le Jay, Tom. 1.

Nam quem alium, Patres Conscripti, malorum illorum quæ jam patimur, auctorem nisi M. Brutum appellabimus? Doletis extinctas Cæsaris victoria Civilis Belli faces fuisse denud suscitatas? Suscitavit M. Brutus . Desideratis expulsam urbe nostrisque finibus tranquillitatem ac pacem? Expulit M. Brutus . Expositulatis sublatas armorum licentia leges, violatam Senatus auctoritatem, libertatem Reipublicæ gravissimo vulnere fauciatam? Sustulit, violavit, fauciat M. Brutus .

Et tamen post tot ac tanta scelerata in uno commissa flagitia, quis facti conscientia superbit? M. Brutus . Quis amissam libertatem in pristinum decus restituisse gloriatur? M. Brutus . Quis miseris ac perditis civibus insultat? M. Brutus .

Quis ergo, M. Brute, non sceleratum te solum, sed impium? neque impium modò, sed etiam parricidam? neque parricidam tantum, sed etiam totius Reipublicæ interfectorem non appellet? Nam si facinus est, Romanum Civem etiam nefarium occidere; scelus, innocentem trucidare; parricidium, optimum Principem de medio tollere; quid dicemus Patrem Patriæ totiusque Imperii Romani columnam ac præsidium sustulisse?

A R T I C U L U S II .

De Verborum Figuris, quæ constant Similitudine .

Quot sunt Figura Verborum, quæ constant similitudine?

R. Quatuor . Compar sive Isocolon, Similiter Cadens; Similiter Desinens, Anominatio .

Quid est Compar, seu Isocolon?

R. Est Figura, in qua ponuntur

D 3

Mem-

Membra five Commata simillimæ magnitudinis, v. g. Pro Lege Manilia n. 35. *Tantum bellum, tam diuturnum, tam longè lætæque dispersum Cn. Pompejus exeunte hyeme apparavit, incunte vere suscepit, extrema ætate confecit.*

Sic & pro Sylla n. 14. *Multum hæc vox deberet valere ejus hominis, qui Consul insidias Reipublicæ consilio investigasset, veritate aperuisset, magnitudine animi vindicasset.*

Item. In Vat. n. 5. Philippica 5. num. 44.

Quid est Similiter Cadens five Omioptoton?

R. Est Figura, qua iidem casus sæpe in fine Commatis, aut sententiæ ponuntur. v. g. pro Roscio Amerino n. 72. *Quid tam commune, quam spiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, litus ejectis? Ubi vides tria nomina in dandica su posita.*

Item pro Marcello n. 5. *Soleo sæpe ante oculos ponere, idemque libenter crebris usurpare sermonibus, omnes nostrorum Imperatorum, omnes exterarum gentium potentissimorumque populorum, omnes clarissimorum Regum res gestas, cum tuis, nec conventionum magnitudine, nec numero præliorum, nec varietate regionum, nec celeritate conficiendi, nec dissimilitudine bellorum posse conferri.*

Item pro Caccina n. 1.

Quid est Similiter Desinens?

R. Est Figura, qua duæ vel plures sententiæ, seu Orationis membra simili terminationis modo finiuntur. Cicero pro Lege Manilia n. 48. *Itaque non sum predicaturus, quantas res ille domi Militiaque, terra marique, quantaque felicitate gesserit; ut ejus voluntatibus non modo civis semper assenserint, socii obtemperarint, hostes obedierint, sed et*

iam venti tempestatesque obsecundarint.

Et Verrina 3. n. 9. *Quis hoc non perspicit præclarè nobiscum actum iri, si Populus Romanus istius unius supplicio contentus erit, ac non sic statuerit, non istum majus in se se scelus concepisse, cum fana spoliavit, cum tot homines innocentes necavit, cum Civis Romanos morte, cruciatu, cruce affecerit, cum prædonum duces accepta pecunia dimiserit, quam eos, si qui istum tot, tantis, tam nefariis sceleribus cooperatum jurati sententia sua liberarint.*

Et pro Milone n. 85.

Quid est Paronomasia five Anominatio?

R. Est similitudo verborum in sententia dissimili, ut Philippica 3. num. 21. *En cur Magister ejus ex Oratore Arator factus est.*

Et de Haruspicum responsis, num. 6. *Non modo vincere, sed vincire oporteret.*

Alia habes exempla Catil. 1. n. 93. Pro Rabirio Perd. n. 7. 2. in Verrem num. 5.

EXERCITATIO.

Augustissimum Jesu Nomen celebratur.

Per Paronomasiam, Isocolon, Similiter Cadens & Similiter Desinens.

SYNOPSIS.

1. **E** Levabit ac deprimet Imperatorum illorum vanitatem & ambitionem, qui non tam à beneficiis quam à maleficiis sibi nomen quaesierunt. Idque tractabit per Paronomasiam.

2. Hoc ipsum probabit exemplo Romanorum, quorum alius Achaicus, alius Macedonicus, alius Asiaticus ob expugnatam Achajam, Macedoniam, Asiam appellati sunt; idque tractabit per Similiter Cadens, & aliorum qui nomen habuere, quod everisionem, depo-

depopulationem, vastationem intulissent. 3. Dicit Nomen Jesu nihil præ se ferre præter bonitatem, beneficentiam, salutem, felicitatem, idque tractabit per Isocolon.

4. Id confirmabit recensendo mirabiles effectus, qui ex Nomine Jesu oriuntur. In Cælo Deum placat, misericordiam conciliat, &c. In Terris morbos pelli, vetustatem tollit, &c. In Inferis Hostem humani generis coerctet, &c. Id porro tractabitur per Similiter Desinens.

Conclusio. Quid ergo tam dulci ac benefico nomine nobis debet esse harum & acceptum magis?

ORATIO.

Paronomasia.

Valeant enimverò, valeant ambitiosum homines genus, qui non tam à rebus gestis, quam à perditis ac profligatis, non tam à beneficiis, quam à maleficiis nominari se volunt; quibus casu exercitus, deletæ civitates, directæ Provinciæ, extinctæque gentes ac nationes nomen imponunt; quos feritatis potius atque injuriæ, quam fortitudinis & munificentiae monumenta nominant.

Similiter Cadens.

Est scilicet, qui, quod everitisset Græciam, sit ex eo appellatus Achaicus; est qui, devicta Macedonia, magnam cladem genti Macedonum cum attulisset, dictus est Macedonicus: est qui à Senatu Populoque Romano, quod partem orbis tertiam vastasset bello ac perdidisset, vocatus sit Asiaticus: est qui, everta ferro armisque Numidia, sit nuncupatus Numidicus?

Similiter Cadens.

Nam quid sexcentos appellem alios aliis nominatos vocabulis, quia urbibus excisionem, agris inflammationem, Provinciis everisionem, populis defolationem, publicis ac sacris locis populationem intulissent; non in venia danda, aut in gratia miserorum & innocentium ineunda probatum ac liberalem animum demonstrassent.

At Jesu Nomen ambitiosis illis nominibus quàm dissimile est! Quid enim aliud, nisi meram sine cujusquam damno præ se fert benefacendi voluntatem? Quid aliud loquitur, nisi communem sine ulla exceptione salutem? quid aliud clamat, nisi perpetuam, id est immortalis animi felicitatem? Externum idemque non mediocre bonum tribuere alteri, liberalitas est; vitam dare, multo plus aliquid, quàm magnificentia; diutissimè propagare vitam, & ipsam vitæ immortalitatem conferre, quo id tandem, nisi nomine, optime Jesu, tuo appellabimus? Fruere igitur tanto nomine, sine ullius invidia, quod tu tibi sine ullius injuria ascivisti; retine cum omnium gratulatione, quod ad omnium salutem accepisti; maxima gloria tua posside, quod maximis rebus gestis tibi peperisti.

Agite enim, quantam putatis vim esse atque efficientiam illius nominis, cujus pulcherrimis & uberrimis fructibus nulla pars orbis universi vacua videatur? Quid in altissimo Dei domicilio non molitur? Iratum humano generi Numen placat, divinam benignitatem atque misericordiam conciliat; lætissimos beneficiorum omnis generis fontes in nos derivat. Quid non perficit in terris? Hujus nominis auditione freta fides subsistit, erecta spes augetur, amor instigatus ad omne erga Deum atque homines officiorum genus exardescit. Mentis verò caligo plerumque hujus cogitatione nominis nonne discutitur? ægritudines nonne sedantur? gestientes deliciae indomitæque libidines nonne tanquam fræno cohibentur? Quid loquar nunc, ut ore tantum prolaturum nomen infestis humano generi adversarios, & ad nostrum interitum animorumque perniciem ex In-

Isocolon.

Similiter Desinens.

feris imminentes propulset; ut cunctas fraudes conatusque refuter, ut audaces debilitet, ut omni jam supplicio maceratos de integro excruciet.

Nos ergo jucundius aliquid, quam Jesu nomen audiemus? frequentius aliquid, quam hoc nomen loquemur, libentius aliquid, quam hoc nomen scribemus? Habitet in oculis, hæreat in medullis atque visceribus; vivat atque spiret inustum cordi; ut nos antè vita ac spiritus, quam nominis tanti grata recordatio deficiat.

ALIA EXERCITATIO.

Per easdem Figuras.

Burrhæ ad Neronem Oratio, ut à Britannici cede abstineat.

S Y N O P S I S.

EXordium & Propositio. Dicit temperate sibi non posse, quin, vel cum periculo capitis Neronem dehorretur à tam pernicioso exitalique consilio.

Confirmatio petetur. 1. à funestissimis illius parricidii effectis, quod Populus Romanus, Exteri, Superi ipsi, quibus acceptissimus erat Britannicus, execrabuntur: adque per Hocolon tractabitur.

2. Ab ea fama, quam sibi Nero virtutibus suis pepererat, quas facinus ejusmodi non possit non obscurare. Tractabitur illud per Similiter Cadens.

Rationem illam illustrabit demonstratione publica, quam sive in Neronem benevolentia Populus R. dederat; idque amplificabit per Similiter Desinens.

Concludet hortando Neronem; ut potius redeat in gratiam cum Britannico, ipsique amicè reconcilietur.

O R A T I O.

Esti detestandum illud, quod iniusti de Britannico interficiendo consilium, non possum palam incusare, quin gravissimum ipse capitis periculum

adire videar, Imperator fortissime; tamen ita me dies noctesque stimulat incredibile, quo semper exarsti, gloriæ tuæ studium, ut tantam inuri nomini tuo labem segnem ac lentum non feram.

Enimverò, liceat mihi, cum ea, quæ debetur tanto Principi, reverentia sciscitari; an cogitasti satis apud te facinoris illud genus, quod moliris? An perpendisti tecum diligenter, eam adhærescere inaudito hæctenus parricidio atrocitatem, quam universus Populus Romanus perhorrescat, Hocolon extera gentes detestentur, ipsi Superi impunitum non sinant? Prævidisti Britannicum extingui à te non posse, quin præcipuum sibi decus eripi nobilitas doleat, suo se privari præsidio exercitus exoptulet, tota civitas dulcissimos adimi sibi amores conqueratur?

Ten' verò, Princeps fortissime, quem vetus & implacabile Juvenis innocentissimi odium incendit, ten' partæ tot rebus præclare gestis gloriæ jam piget? tantum-ne te cepit laudum tuarum fastidium, ut tuam extollis probitatem, prædicari palam humanitatem, uno omnium ore jactari pietatem non patiaris?

An ulla possit esse tibi vox suavior, an jucundior auribus concentus unquam accidat, quam cum imis pariter gratus ac summis, quò te ageres cumque, medios inter exultantium populorum plausus incederes; cum virtutum tuarum fama omnium in te oculos, gratiam, admirationem concitares? cum sublatus honoris causa comitantium humeris, quasi parta de singulorum animis atque voluntatibus victoria triumphares? Cum suam te miseri subsidium, afflicti solatium, perditum refugium appellarent; cum te ostentare senes, jactare juvenes, prædicare universi ordines properantibus studiis certarent; cum te

semel

semel viso, te compellato, te laudato felices se omnes beatosque existimarent?

Ah! ne, Princeps fortissime, tam lætam rerum tuarum fegetem unius facinoris labe contamines ac corrumpas; placare potius Britannico fratri: vincat veteres inimicitias concordia, similitates amor superet; odio jampridem insito constans ac perennis benevolentia succedat.

ARTICULUS III.

De Figuris verborum, quæ aliquo conflictu constant.

Quid est Antitheton, seu Antithesis, ut est Figura verborum?

R. Est Figura, qua verba verbis opponuntur, ut Ver. 5. n. 115. *Conferte hanc pacem, cum isto bello; hujus Prætoris adventum, cum illius Imperatoris victoria; hujus cohortem impuram, cum illius exercitu invicto.* Item Orat. pro Milone n. 10.

Est enim hæc non scripta, sed nata lex; quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti; non instituti, sed imbuti sumus.

Sunt & alia hujus Figuræ exempla illustria, Ver. 6. n. 121. Cat. 2. n. 10. ibid. n. 25. *Ex hac parte pudor pugnat, illinc petulantia, hinc pudicitia, illinc stuprum; hinc honestas, illinc turpitude, &c.* Phil. 8. n. 10. 3. Ver. n. 3. Pro Font. n. 22.

Est alia Figura huic pænè similis, quæ Antithesis dicitur & inter Figuras sententiarum reponitur; quæ in sententiarum oppositione posita est; sed de illa suo loco tractabitur.

Quid est Antimetathesis seu Antimeravole?

R. Est Figura, in qua procurrit sententiæ contrarietas, cum transpositione verborum. Ita Cicero Lib. 3. de Legibus n. 2. dicit *Magistratum esse Legem loquentem, Legem autem, mutum Magistratum.*

Et pro Quinctio n. 51. *Mavult commemorari de se, cum posset perdere, pepercisse; quam, cum parcere potuisset, perdidisse.*

Quid est Synæciosis?

R. Est Figura, qua res eadem contrariis rebus tribuitur, ut, *Pessima res est, & nimia servitus, & nimia libertas.*

Quid est Oximoron?

R. Est Figura, qua idem de seipso negatur, ut fatuè dictum videatur illud, quod postea dictum acutè cognoscitur. Ita Cicero Lib. de Amicis n. 23. ita de amicis loquitur, *Amici & absentes adsunt, & egenes abundant, & imbecilles valent, & mortui vivunt.*

Simile est ejusdem de Sicilia testimonium, postquam illam expilasset Verres. *Sic erat deformis atque horrendus ager Siculus, ut in ipsa Sicilia Siciliam quereremus.*

Luculentum & illud Figuræ illius exemplum, quod Epigrammate concluditur, in veteres urbis Romanæ ruinas.

Qui veterem in veteri quæris novam advena Romanam,

Et Romæ in Roma nil reperis media. Aspice murorum moles disjectaque saxa, Obrutaque ingenti vasta Theatra situ.

Hæc sunt Roma; videntur, velut ipsa cadavera tantæ

Molis, adhuc spirent imperiosa minas!

Vicit ut hæc mundum, voluit se vincere, vicit,

A se non victum ne quid in orbe foret.

Albula Romani permansit nominis index, Quique etiam rapidis fertur in æquor aquis.